



Clypeus Theologiæ Thomisticæ

In Tres Partes Divisus, Et Quinque Voluminibus Comprehensus

Tractatus de Sacramentis in genere, de Baptismo, de Confirmatione, de
Eucharistia, de Pœnitentia, de Extrema-Vnctione, de Ordine & de
Matrimonio

Gonet, Jean-Baptiste

Coloniae Agrippinae, 1671

§. II. Alia difficultas expeditur,

[urn:nbn:de:hbz:466:1-77185](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-77185)

conversiva substantiæ panis in corpus Christi, det illi esse sacramentale sub speciebus, non tamen est ipsa præsentia sacramentalis, sed solum causa & fundamentum illius.

- 49 Secunda verò pars suadet. Corpus Christi cum sit ex se divisibile, ut constituitur positivè indivisibiliter sub speciebus, constitui debet per aliquid in se receptum: Sed actio instrumentalis quæ corpus Christi conservat species sacramentales, & eas in suo esse continet, cum sit transiens, non est in corpore Christi, sed in passio, scilicet speciebus quæ conservantur: Ergo per illam corpus Christi non potest constitui formaliter præsens speciebus Eucharisticis. Præterquam quod valde incertum est, an corpus Christi assumatur à Deo ut instrumentum ad conservandas tales species.

Dico tertio præsentiam sacramentalem corporis Christi sub speciebus, esse modum aliquem additum corpori Christi, supernaturalem quoad substantiam.

- 50 Probatur prima pars. Corpus Christi esse indivisibiliter præsens sub speciebus, est effectus realis de novo in ipso corpore, qui antea non erat: Ergo debet provenire ab aliqua forma illi addita: Non realiter distincta, quia necessaria non est: Ergo modaliter tantum. Antecedens est certum primaverò consequentia in qua solum potest esse difficultas, ex eo probatur quod impossibile sit aliquid alio modo se habere nunc quam antea, nisi per aliquam sui mutationem, subindeque per alicujus entitatis vel modi receptionem.

- 51 Secunda verò pars, quæ asserit modum illum præsentia sacramentalis, substantiæ Christi superadditum, esse supernaturalem quoad substantiam, patet. Tum quia nulli substantiæ creatae vel creabili potest esse connaturalis. Tum etiam quia est modus substantiæ corporeæ & quantitativæ, & tamen facit existere corpus Christi indivisibiliter. Adde quod est modus resultans ad actionem maximè supernaturalem, nempe transubstantionem, & est quedam initiatio & participatio divinæ immensitatis; quia sicut Deus, ratione suæ immensitatis, nullo loco definitur aut limitatur; ita corpus Christi per præsentiam sacramentalem, ita est in una hostia & in uno altari, quod non definitur & limitatur ut non sit in aliis, quin potius in infinitis. y. cathegoremaricè reperiri potest, cum virtus Dei convertentis panem in ipsum, infinita sit.

§. II.

Alia difficultas expeditur.

Dico quarto, modum præsentia sacramentalis quem Christus habet sub speciebus Eucharisticis, non esse accidentalem, sed substantialem, subindeque ad prædicamentum substantiæ reductivè pertinere.

- 52 Probatur primò. Ille modus est substantialis qui habet effectum substantialem: Sed modus iste habet effectum substantialem: Ergo substantialis est. Major constat, quia effectus formalis est ipsa forma, ut communicata subjecto. Minor autem probatur. Existere substantialiter, seu modo substantiali, eo nimirum quo substantia postulat existere, est effectus substantialis: Sed per istum modum corpus Christi existit modo substantiali: Ergo ille effectus substantialem habet. Major probatur, Tum quia modus exi-

A stendi debet proportionari rei existentis, & illis modus existendi accidentium est accidentialis. Ergo modus existendi substantiæ, est substantialis. Tum etiam, quia quod prævenit omnia accidentia non potest non esse substantiale: Sed modus ille quo substantia existit sub dimensionibus prævenit omnia accidentia, cum præveniat ipsa quantitatem, eod quod a nobis concipiamus medium inter substantiam & quantitatem, & ipsa quantitas, utpote prima passio substantiæ, & ratio recipiendialis accidentia illi conveniat: Ergo &c. Minor verò docetur confirmari à Theologis cum D. Thoma hic art. 4. sic ait: Corpus Christi non est in hoc sacramento sicut in loco, sed per modum substantiæ, licet modo quo substantia continetur à dimensionibus: succedit enim substantia corporis Christi in hoc sacramento substantia panis; unde substantia panis non erat sub suis dimensionibus localiter, sed per modum substantiæ, ita ne substantia corporis Christi. Ratio etiam suffragatur. Nam esse ad modum substantiæ, est esse totum sub tota quantitate, & totum sub qualibet parte: Sed corpus Christi est totum sub tota quantitate panis & totum sub qualibet ejus parte: Ergo est sub illa per modum substantiæ.

Probatur secundò conclusio: Præsentia sacramentalis corporis Christi sub speciebus, non pertinet ad prædicamentum ubi: Ergo reductivè ad prædicamentum substantiæ. Consequentia patet, cum enim talis præsentia non pertinet ad prædicamentum relationis, vel actionis, vel præcedenti ostensum est, nec superest aliud prædicamentum ad quod possit reduci, præter substantiam, vel ubi, si non perueniat ad prædicamentum ubi, manifestum est quod debet referri ad prædicamentum substantiæ. Antecedens ergo in quo est tota difficultas probatur, Tum quia supremum genus prædicamenti ubi, est ubi circumscriptivum, ut ex definitione Gilberti colligitur, Sed præsentia sacramentalis non est ubi quod ubi circumscriptivum, ut de fide certum est. Ergo non continetur sub prædicamento non pertinet quicumque; modus præsentia, sed ille tantum ratione cujus res denominatur existens in loco: Sed ratione præsentia sacramentalis corpus Christi non potest dici esse in loco: Ergo talis præsentia ad prædicamentum ubi non pertinet. Major est evidens, quia neque præsentia quæ duo corpora divinitus sese penetrant, denominatur ubi ubi mutuo præsentia, est ubi, neque illa quæ materia denominatur præsens formæ, vel forma materiæ, neque ea quæ accidens denominatur præsens subjecto cui inhaeret, aut Angelus corpori circa quod operatur, ut ostendimus in Tractatu de Angelis disputatione 4 art. 1. §. 3. Minor verò est D. Thomæ articulo supra citato, ubi expressè dicit corpus Christi non esse in hoc sacramento tanquam in loco, & nullo modo hic existere localiter. Ratio etiam id suadet: Duplex enim tantum est modus essendi in loco, circumscriptivus scilicet, & definitivus: Sed neutro ex his modis corpus Christi est sub speciebus: non quidem primo, quia est totum sub tota hostia, & totum sub qualibet parte; nec etiam secundo, quia quod est definitivè in aliquo loco, ita est in illo ut non sit alibi: Sed Corpus Christi non ita est sub una hostia, ut non possit esse simul sub aliis: Ergo non est in una hostia definitivè. Unde Sanctus Doctor eodem articulo

culo, in resp. ad hanc: Corpus Christi non est in hoc sacramento definitivè, quia si non esset alibi quàm in hoc altari ubi constituitur hoc sacramentum: cum tamen sit & in celo in propria specie, & in multis altaribus sub specie sacramenti. Similiter etiam patet, quod non est in hoc sacramento circumscriptivè, quia non est ibi secundum commensurationem propriam quantitatis.

§. III.

Solvuntur objectiones.

Objicies primò: D. Thomas in 4. dist. 10. quæst. 1. art. 3. quæstio. 1. sic ait: Comparatio Christi ad species sub quibus est, non est similis alicui comparationi naturalis, & idò non potest reduci propriè loquendo, ad aliquem modum à philosopho assignatorum. Tamen habet aliquam similitudinem cum illo modo quo aliquid dicitur esse in loco, secundum quod esse in loco, est esse in aliquo separato extra substantiam suam quod non est causa eius. Et secundum hoc etiam Innocentius dicit corpus Christi esse in pluribus locis, quod continetur sub pluribus speciebus. Ergo D. Thomas censet, præsentiam sacramentalem quam corpus Christi habet sub speciebus, reduci ad pertinere ad prædicamentum ubi, non verò ad prædicamentum substantiæ.

Sed nego consequentiam: quamvis enim D. Thomas dicat hanc præsentiam sacramentalem habere aliquam similitudinem & analogiam cum ubi corporeo, quatenus scilicet provenit ab aliquo extrinseco, nimirum à conversione substantiæ panis in corpus Christi, sicut ubi corporeum, juxta Gilbertum Porretanum, resultat ex circumscriptio-
C ne loci non tamen propterea censet, talem præsentiam pertinere ad prædicamentum ubi, quin potius, cum asserat loco supra citato, Christum esse in hoc sacramento per modum substantiæ, & hanc præsentiam esse similem illi quæ substantia denominatur præsens suis dimensionibus, existimat illam esse substantialem, subindeque ad prædicamentum substantiæ, reduci vel saltem, pertinere, non verò ad prædicamentum ubi.

Objicies secundò: Modus qui advenit substantiæ in suo ultimo actu substantiæ constituitur, non est substantialis, sed accidentalis: Atqui præsentia sacramentalis advenit corpori Christi in suo ultimo actu substantiæ constituto: Ergo illa non est modus substantialis, sed accidentalis. Major certa videtur, quod enim advenienti in ultimo actu substantiæ constituto, advenit ipsi ut non ulterius potest ibi per alium actum substantialem, subindeque est accidentis. Minor verò sic ostenditur. Existencia est ultima actualitas linearis substantialis: Sed præsentia sacramentalis advenit corpori Christi ut existenti: Ergo advenit ipsi, ut in suo ultimo actu substantiæ constituto.

Respondeo dupliciter aliquem modum dici substantialem, propriè scilicet & impropiè. Dicitur propriè substantialis, quando pertinet ad constitutionem ipsius compositi substantialis, intrinsecam substantiæ spectati; quo pacto modus unionis inter materiam & formam, & modus unionis inter Verbum & humanitatem, in opinione illorum qui tales modos admittunt, possunt dici substantiales: & similiter substantia & existencia; & in hoc sensu non asserimus præsentiam sacramentalem corporis Christi sub speciebus, esse substan-

A tialem, quod solum convincit argumentum. Secundò ergo potest dici modus aliquis impropiè substantialis, quia scilicet immediate afficit ipsam substantiam, & antecedit ipsam quantitatem, subindeque omnia alia accidentia substantiæ corporeæ, & afficit substantiam modo proprio ipsi substantiæ, idque ex vi alicujus actionis substantialis, terminat ad substantiam, sub illo modo substantiæ & indivisibili; & in hoc sensu dicimus præsentiam sacramentalem corporis Christi sub speciebus, esse substantialem, ut constat ex supra dictis.

Dices, Nullus modus potest dici sive propriè sive impropiè substantialis, si non pertineat intrinsecè ad constitutionem substantiæ: Sed modus iste præsentia sacramentalis non pertinet intrinsecè ad constitutionem corporis Christi, ut nos asserimus. Ergo nec propriè substantialis dici potest. Major patet, tum inductione facta per omnes modos substantiales quos admittunt Philosophi, ut substantiam, existentiam &c. Tum etiam, quia si non pertineat ad constitutionem substantiæ, effectus illius non potest esse substantialis: Ergo nec ipse modus erit substantialis.

Respondeo distinguendo Majorem: Nullus modus connaturalis substantiæ, cuius modi sunt substantia & existencia, potest dici substantialis, si non pertineat intrinsecè ad constitutionem substantiæ, transeat. Nullus modus supernaturalis, qualis est præsentia sacramentalis corporis Christi sub speciebus, nego. Hoc ipso enim quod supernaturalis est, debet supponere substantiam cui advenit jam completam, subindeque ut habentem omne suum complementum substantiale.

Ex his facile solvitur argumentum aliàs difficile, quod objici potest ab hæreticis, ad probandum corpus Christi non posse simul poni in pluribus altaribus sacramentaliter, sive plures præsentias sacramentales simul habere. Implicat enim contradictionem, in sententia S. Thomæ, quod duo accidentia solo numero distincta sint in eodem subiecto: Sed duæ vel plures præsentia sacramentales inter se solo numero differunt: Ergo in eodem Christi corpore simul esse non possunt.

Huic, inquam, argumento ex principiis jam statutis facile responderetur, negando scilicet id quod in Minori supponitur, nimirum præsentias sacramentales corporis Christi in Eucharistia, esse plura accidentia solo numero diveras; illæ enim præsentia, nec sunt accidentia, nec distinguuntur solo numero, sed specie: sicut enim duæ species intentionales, repræsentantes duo objecta solo numero distincta, distinguuntur specie, quia ex eo quod quilibet repræsentat hoc numero objectum, dicit essentialiter habitudinem ad tale objectum in individuo, subindeque distinguuntur inter se essentialiter & specificè: ita etiam quia præsentia sacramentalis corporis Christi sub speciebus, dicit essentialiter ordinem ad has numero species (ex eo quod effectus formalis & essentialis ipsius, est facere præsens corpus Christi sub his numero speciebus, relictis ex substantia quæ fuit terminus à quo conversionis consequenter plures præsentia sacramentales distinguuntur plusquam numero, quia distinguuntur essentialiter, & consequenter specie.

Ex dictis etiam intelliges, præsentiam sacramentalem corporis Christi sub speciebus, duas habere conditiones, unam in qua convenit cum præsentia rei spiritualis, alteram in qua excedit illam.